



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Casus XLIX. De Electione promovendorum ad Beneficia Ecclesiastica.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

sed si duo non sufficerent, non potest conferre tertium absque dispensatione Apostolica; nisi fortè contrarium per rationabilem, & legitime præscriptam consuetudinem inductum esset.

Neque potest dispensare ad duo simplicia, si utrumque requirat residentiam, ex Trid. l. c. Neque in pluralitate Beneficiorum sufficientium, tamen si personalem residentiam non requirat utrumque; quia citt. Trident. Statuit, ut unum tantum Benefi-

cium Ecclesiasticum sufficiens singulis conferatur. Quocirca Episcopus solum tibi concedere potest duo Beneficia, (præscindendo à consuetudine) compatiblea, seu difformia sub eodem tecto, dum modo ita provisus iis indigeat ad honestam vitæ sustentationem, non tamen duo incompatiblea, nisi solum sint incompatiblea jure Dicecesano. Item duo simplicia insufficientia in diversis Ecclesiis, si utrumque residentiam incompatibleam non requirat.

CASUS XLIX.

De Electione promovendorum ad Beneficia Ecclesiastica.

Mortuo nuper Udalrico Episcopo convocantur à V. Capituli Decano omnes Capitulares, quibus jus eligendi competit, ad novum Episcopum eligendum. Comparent omnes die ac hora constituta, ubi media Electorum pars Ambrosium Canonicum eligit, altera media pars Dionysium, sed æqualibus votis: Ad secundum igitur scrutinium proceditur, in quo major pars in Ambrosium, ut digniorem conspirat, quod advertens Titus Canonicus, ipse quoque ad potiorem partem suò suffragiò accedit, licet ipse Dionysium digniorem judicet, easque habere qualitates, quas requirit *Cap. cum in Cunctis 7.* videlicet, *etatis maturitatem, gravitatem morum, & litterarum scientiam*: Unde eligitur Ambrosius non invitus, sed tacitè Episcopatum desiderans.

R. P. Leonardelli Soc. Jesu.

Q9

QUER. I.

QUÆR. I. An, & qualis extra concursum deur obligatio præferendi in Electionibus digniores ad Prælaturas, & Beneficia Ecclesiastica tam curata, quàm simplicia?

QUÆR. II. An valida sit electio, vel collatio Beneficii Clerico curato digno facta, digniore prætermisso?

QUÆR. III. An eligens dignum, omisso digniore, teneatur ad restitutionem Ecclesiæ, & digniori faciendam?

QUÆR. IV. An Patronus Lajcus teneatur digniorem præsentare ad Beneficium Ecclesiasticum?

QUÆR. V. An, & quando illicitum sit Episcopatum desiderare?

QUÆR. VI. An Episcopus electus, & confirmatus, sed nondum consecratus conferre possit Beneficia Ecclesiastica, & approbare Sacerdotes in Confessionis Ministros?

279

AD I. Q. Aliqua sunt satis certa; alia controversa, & incerta. Certum est enim
1. Ad Ecclesiastica Beneficia dignum esse eligendum, & promovendum, seu talem, qui munus suum ritè præstare possit; adeò, ut electio indigni, cum dignus haberi potest, non solum sit graviter peccaminosa, sed ipso quoque jure irrita & nulla ac gravissimis poenis obnoxia, decretis, *C. cum in cunctis de elect.* & *C. grave nimis de præben.*

2. Satis certum est, quando in ipsa Beneficii fundatione, aut speciali Statuto expressum, cautumque est, ut Beneficia certo personarum generi ex tali nobilitate,

familia &c. conferantur, ita observandum esse, & hujusmodi personas, modò dignæ sint, præferendas extraneis, quantumvis dignioribus; quia conditiones in fundationibus appositæ observandæ sunt, & secundum mentem Fundatorum adimplendæ, prout Statuit Trident. *Sess. 25. c. 5. de reform.*

3. Satis quoque certum est, si competitorum vocentur ad concursum, ut Beneficium digniori ex illis conferatur, obligatos esse Electores ad digniorem eligendum; quia tunc intervenit implicita promissio de Beneficio dando digniori, estque tacitus quidam contractus
ultrò

ultrò citròque obligatorius, & obligatio naturalis, quâ Electores Competitoribus obligantur ad electionem dignioris faciendam, sine quo aliàs Ecclesia vices suas non transferret in Collatores, & Electores.

280 An autem extra hos casus, & præsertim spectata natura, & institutione ipsorum Beneficiorum, debeant hæc sub gravi obligatione conferri dignioribus, controversum est. Negant hanc obligationem cum Gloss. in cap. licet ergo, qui præstantior s. q. 1. Imola, & alii, quia Beneficia instituta sunt in Stipendium laboris iis, qui Beneficiis deserviunt, non tamen ut præmia laborantibus proposita: atqui ex hac ratione non infertur, Beneficia danda esse dignioribus, sed sufficere, si dignis conferantur; sicut si Dominus suo Oeconomo mandet, ut operarios conduceret ad excolendam vineam suam signato Stipendio, non teneretur Oeconomus ob assignatum Stipendium meliores quærere, sed satisfacere, si aptos, & sufficientes conduceret; quia labor petitus responderet Stipendio oblato; Quod si Dominus ei præciperet, ut meliores conduceret, si secus faceret, peccaret quidem contra obedientiam, & fidelitatem, non autem contra justitiam commutativam, vel distributivam.

2. Quia Trident. Sess. 7. c. 3. solum vult, quòd Beneficia Ecclesiastica curam animarum haben-

tia conferantur personis dignis, & Apostolus ad Tit. 1. Solum postulat, ut Episcopus sit hospitalis, benignus, Sobrius, justus, Sanctus, non faciendo mentionem de sanctiore &c. 3. Si Beneficia curata deberent conferri digniori, ut salutem animarum Consulatur, deberent etiam conferri Beneficia simplicia, ut dignitati Ecclesiæ consulatur: hoc autem videtur contra praxim Ecclesiæ, ut notat Gutierrez apud Dian. Resol. 38. ubi ejusmodi Beneficia per Prælatos dignis conferuntur, eò quòd non sint bona communia, & decertantibus debita, & minus digni æquè recitare possint Officium divinum, quod est præcipuum munus Beneficiorum, ac magis digni, ut insinuat Trid. Sess. 17. c. 3. de reform. Nihilominus.

Dicendum est 1. in Electionibus 281 ad Prælaturas dari gravem obligationem præferendi digniorem digno. Constat id 1. ex Trident. Sess. 24. c. 1. ubi loquens de promovendis ad Episcopatum, & Cardinalatum ait, tanti momenti esse hujusmodi munus, ut si pro magnitudine rei expendatur, nunquam satis cautum de eo videri possit: & idcirco hortatur omnes, & singulos, qui ad promotionem præficiendorum jus quodcunque habent, ut bonos Pastores, & Ecclesiæ gubernandæ idoneos promovere studeant; ac demum declarat, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Eccle-

*Ecclesie magis utiles ipsi judicaverint ---
 præsici diligenter curaverint, &c. Cujus
 Concilii clara verba, cum non
 nulli in varium sensum improprium
 violenter detorquerent, Innoc.
 XI. Pontifex maximus hanc inter
 alias proscripsit propositionem n.
 47. Cum dixit Conc. Tridentinum,
 eos alienis peccatis communicantes
 mortaliter peccare, qui nisi, quos digniores,
 & Ecclesie magis utiles ipsi judicaverint,
 ad Ecclesias promovent, Concilium
 vel primò videtur per hoc digniores,
 non aliud significare velle, nisi
 dignitatem eligendorum, sumpto
 comparativo pro positivo; Vel secundò
 locutione minus propria ponit digniores,
 ut excludat indignos, non verò
 dignos. Vel tandem loquitur tertio,
 quando fit concursus*

*Conf. ex Can. licet ergo, 15. caus. 8. q. 1. Ubi S. Hieronymus
 monet, Sacerdotem, seu Episcopum
 eligendum, ordinandumque
 esse, qui præstantior est ex omni
 populo, qui doctior, qui sanctior,
 qui in omni virtute eminentior &c. &*

*Ratio est, quam insinuat Trident.
 magnitudo tanti muneris, cura
 animarum, veneratio Ecclesie,
 & bonum, quod in eam redundat
 ex præstantia Ministrorum,
 & damnum, ac scandalum ex
 omissione digniorum oriturum,
 quatenus providendo Ecclesias de
 personis dignis prætermittis dignioribus,
 pauciora peccata caventur,
 & ideò Tridentinum citat, dicit,
 peccatis aliorum communicare,
 qui digniores prætermittunt.*

*Certè si quilibet præstantiores famulos
 exquirat, qui in sua domo sibi
 deserviant; à fortiori præstantiores
 Ministri ad inserviendum Ecclesie
 promovendi erunt, ut ejus honori,
 commodo, & dignitati magis
 consulatur: Unde advertit hic Lugo
 D. 35. de Just. n. 12. Tridentinum
 non imposuisse novam hac in re
 obligationem, sed declarasse antiquam,
 quæ oritur ex lege naturali.*

*Dicendum 2. in cæteris quoque
 Beneficiis curatis dari obligationem
 præferendi digniores dignis. Ita
 contra aliquos apud Carden. in
 Chris. Theol. d. 28. n. 10. plerique
 melioris notæ TT. & Canonistæ
 cum S. Thom. 2. 2. q. 63. a 2. ad 3.
 quia præteritio dignioris cedit in
 Ecclesie detrimentum; tum quia
 committitur peccatum acceptationis
 personarum, & in re gravi violatur
 Justitia distributiva, cum Beneficia
 sint bona communia & præmia
 meritorum ut docet communis cum
 Less. Sanch. Dom. Viva in relata
 proposit. 47. de qua acceptatione fit
 mentio apud Ecclesiasticum cap. 42.
Ne accipias personam, ut delinquas.
 Jac. 2. *si accipitis personas, peccatum
 operamini.* Ille autem, ut notat hic
 Gabr. in 4. d. 15. q. 7. a. 1. cum aliis,
 personam accipit, qui præter
 dignitatem, seu habilitatem ejus ad
 Beneficium, etiam aliam qualitatem,
 sive conditionem ad rem non pertinet.*

inentem, v. g. consanguinitatem, amicitiam &c. attendit, & idcirco personam hanc eligit, vel instituit.

2. Patet id expressè ex Trident. I. c. 18. & ex Constit. Pii V. quæ incipit in conferendis edita 15. Calend. Mart. 1567. §. 7. ac ex jure Canonico in cap. unico, ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur, quod, uti & Trid. non tam præcipit in Beneficiis digniorem eligere, quam hujus electionis præceptum ex prima eorum institutione supponit, ut probat Palao tr. 13. D. 2. p. 11. §. 2. Credendum enim est, Ecclesiam instituendo Beneficia simul præcepisse, ut ex dignis digniores eligerentur, quia id sibi erat utilius, magisque proficuum. Sicut quilibet, ut dictum est, præstantiores famulos exquirat, & assumat, ad sibi famulandum. Et est c. textus loqui videantur de collatione Beneficiorum facienda per concursum, cum eadem tamen ratio sit in omnibus Beneficiis curam animarum habentibus, idem quoque est intelligendum de collatione aliorum etiam extra concursum; cum hujus præcipuus finis sit, ut constet, quinam ex concurrentibus digniores sint, magisque idonei, ut præferantur, & promoveantur: Dein Tridentinum non loqui solum de casu concursus, colligitur ex propositione prohibita supra relata. Porro hæc

major dignitas seu qualitas personæ non absolute spectanda est, sed in ordine ad Ecclesiæ commoditatem, ut notat S. Th. I. c. & quodlib. 6. q. 9. ita ut qui aptior est ad promovendum illius commodum, dignior censeatur, licet alter in aliis qualitatibus præcellat: Unde qui minus sanctus est, sed ob potentiam, nobilitatem, agendi industriam regendæ Ecclesiæ magis idoneus judicatur, is sanctiori merito præfertur. Interdum tamen contrarium accidere potest, ut sanctior, aut prudentior doctiori, vel potentiori sit præferendus.

Ad rationes in contrarium R. Ad 1. contrarium docet communis DD. apud c. Viva, Beneficia scilicet esse instituta ab Ecclesia etiam in præmium meritorum, ut dignioribus conferantur secundum majora merita; dem, quia in hac institutione non Clericorum, sed Ecclesiæ utilitas fuit spectata, inde non infertur, digniores præferendos non esse, cum id fuerit ab Ecclesia statutum, cedatque in majorem ejus utilitatem, si digniores præferantur.

Ad 2. R. Tridentinum, & Apostolum in iis locis præscindere à concursu dignorum cum dignioribus, & advertere duntaxat, præficiendos debere esse dignos, & idoneos, & Episcopum sobrium, justum & sanctum. Postea verò locis supra citatis satis aperte declarasse,

clatate, quinam sint præferendi, & qualis Electoribus incumbat obligatio.

Ad 3. Conceditur sequela maj. præsertim, si Beneficia simplicia sine magni momenti, ut Decanatus, Canonicatus, &c. Unde

283 Dicendum 3. tanquam probabilius, etiam in Beneficiis simplicibus, curam animarum sibi annexam non habentibus dari regulariter obligationem præferendi digniores. Ita cum S. Th. 2. 2. q. 63. a. 2. Vasq. de Benef. c. 2. §. 3. dub. 1. Palao l. c. Dominic. Viva l. c. Less. l. 2. de J. & J. c. 34.

Cajetan. in Summ. V. Personarum acceptio. Schmalzgr. hic §. 4. n. 43. Turrecrem, alique, quorum viginquinque refert, sed non sequitur Sanch. in opusc. tom. 1. l. 2. cap. 1. dub. 23.

Prima ratio petitur ex C. fin. de offic. Custod. ubi ad munus non curatum custodiæ jubentur assumi meliores & sanctiores. Et ex C. unico supra cit. ubi Innoc. III. ait: *Non ex affectu carnali, sed discreto judicio debueris Ecclesiasticum Beneficium in personam magis idoneam dispensare; quod capitulum non de Beneficio Curato, sed de simplici loquitur, teste Palao l. c. n. 8. qui addit obligationem præferendi personam magis idoneam eo textu non introduci, sed supponi jam ante indu-*

ctam ab Ecclesia in prima Beneficiorum institutione, prout supponit & Tridentinum, ut supra ex Lug. insinuatam est.

Prob. 2. tum quia in collationibus Beneficiorum & Officiorum Ecclesiasticorum per assumptionem digni omisso digniore committitur acceptio personarum contra Justitiam distributivam, quæ exigit, ut ejusmodi bona Ecclesiastica, quæ ut notat Laym. ex fine saltem secundario, etiam in commo- dum, & gratiam promovendorum, qui de Ecclesia benè merentur, instituta sunt, distribuantur secundum merita, tanquam bona communia & præmia meritorum, quorum conferendorum potestatem dedit Ecclesia collatoribus ea spe & intentione, ut dispensentur meliore, quo possunt, modo pro Ecclesiarum particularium necessitate, utilitate, & dignitate: Tum quia id postulat veneratio Ecclesiæ debita, ut præstantiores Ministri ei dignius famulentur, ejusque dignitati & splendori melius consulant; licet enim minus docti, sancti, & prudentes æquè, ac doctiores & sanctiores possent Officio divino satisfacere, quò tamen digniores sunt Ministri, eò major Ecclesiæ accedit decor, auctoritas, & æstimatio. Unde

Patet responsio ad rationem supra in contrarium allatam. Ad praxim ibi allegatam quod attinet, ea

ea non urget; tum quia ut notat Palao l. c. cum aliis, praxis illa, & usus potius corruptela, & abusus nuncupandus est; tum quia si id in praxim deducant Collatores, excusantur ob probabilitatem sententiæ oppositæ, quam graves tenent DD. Præterea non desunt causæ, ob quas collatores excusari possunt ab omni culpa conferendo Beneficium minus digno; cujusmodi sunt, si excessus dignitatis in uno ex pluribus idoneis sit dubius, aut non notabilis; si id exigat spiritualis necessitas, aut utilitas Ecclesiæ non habentis aliàs idoneos ad Beneficia curata, si Beneficium à Fundatore conferatur, aut juxta complures si Beneficium sit patronatus &c. Unde dixi suprâ *regulariter*.

Ad Concilium Trident. quod spectat, dum c. sess. dicit, ut *inferiora Beneficia Ecclesiastica - - - personis, dignis, & habilibus - - - conferantur*. Responderi potest, illud ibi loqui præscindendo à concursu dignioris vel relativè ad indignos, prout intelligi debent textus C. *cum nobis*, & C. *grave nimis* 19. de præb. juxta c. DD. quos indignos SS. Canones absolutè exclusos voluere, non autem dignos, nisi solùm tunc, quando adest alius dignior. Dein obligatio hæc ex aliis c. textibus & ex ratione satis colligitur.

Cæterum si collatio Beneficii simplicis facta digno omisso digniore

rarò admodum contingat, à gravi peccato excusant collatorem etiam DD. suprâ citati, & venialem solum culpam agnoscunt, eò quòd in Beneficiis simplicibus præsertim levioris momenti, excuset parvitas materiæ; quia tunc Ecclesia plerumque non patitur grave damnum.

Ad 2. Q. Aliter discurrendum est 284 de Electione, vel collatione Beneficii extra concursum; aliter de electione facta in concursu: Si enim electio digni, prætermisso digniore, fiat extra concursum, communis DD. sententia cum S. Th. l. c. Covarru. *reg. peccatum*. 2. p. §. 7. n. 3. Vasp. l. c. *dub. 17*. Azor. 2. p. *inst. mor.* l. 6. c. 15. q. 2. Gonzal. *Gloss.* 4. n. 129. Palao l. c. §. 3. aliisque. Affirmat, ejusmodi electiones sic factas subsistere, seu validas esse, nec per sententiam rescindendas, prout colligitur ex *cap. cum nobis de elect.* *cap. nisi cum pridem §. pro defect. de renunciat.* *cap. constitutis. 2. de appellat.* Multa enim fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent, de *reg. jur. in 6.* & ratio est, quia si irritæ essent, aut rescissioni obnoxie, aperiretur via litibus & calumniosis impugnationibus non sine perturbatione Republicæ Christianæ. Si verò electio fiat in concursu, non nulli cum Garcia 9. p. de *Benefic. c. 2. à n. 235.* & Ugolino de *offic. episc. cap. 50. §. 23.* censent, eam non ipso jure irritam esse, sed venire irritandam
per

per sententiam. Alii tamen probabilius docent, electiones in concursu sic factas ipso jure irritas, & nullas esse. Ita Gonzal. in *reg. 8. Concell. Gloss. 4. n. 136.* Palao *l. c. §. 3. n. 2.* Rebell. *p. n. de oblig. Just. l. 3. q. 4.* Schmalzgr. *hi. §. 4. n. 41.* Azevedo *conf. 9. à n. 27.* aliique. Ratio est, quia Tridentinum *Sess. 24. cap. 18. de reform. præcipit*, ut Beneficia Parochialia, quæ per concursum providentur, conferantur dignioribus ex approbatis ab examinadoribus, & postea subdit: *Provisiones omnes, seu institutiones præter supradictam factam subreptitiæ esse censeantur.*

Pius V. verò in Constitut. super collatione Parochialium, data 15. Kalend. April. anno 1566. ejusmodi Beneficia conferri mandat dignioribus, addito Decreto irritante, si secus actum fuerit & permessa appellatione dignioribus, qui præteriti sunt. Cum ego unum ex præcipuis requisitis illius Decreti Concilii, & constitutionis Pontificiæ sit electio dignioris, si hæc non servatur, irritum erit, & nullum, quidquid actum, aut attentatum fuerit. Et hanc sententiam approbavit etiam Rota in decisionibus relatis à Farinacio *in noviss. 672. & 674.* & Genuens. *in praxi cap. 69.*

285 Ad 3. Q. Si in concursu, ad quem competitores vocantur, eligatur dignus omisso digniore aut indignus omisso digno, communis DD.

sententia cum Molina, Barbof. Rebell. Less. Palao, Gutierrez, Rodriq. Petr. Navar. Vasq. Fernand. Diana Hurtado contra non nullos cum Nicol Garcia 7. p. *de Benefic. c. 16.* docet, oriri obligationem restituendi digniori omisso. Quia in beneficiis Parochialibus, quæ per concursum competitorum providentur, continetur saltem implicite promissio de Beneficio digniori dando, sub qua se examini, & concursui subjecit, quæ promissio cum onerosa sit, habet pactum ultrò citròque obligatorium, sine quo Ecclesia non transfert vices suas in collatores, & electores, debeturque digniori Beneficium, sicut debetur res plus offerenti, cum sub voce præconis sic danda promittitur, ut tradit Bart. communiter receptus in *leg. licitatio in princ. n. 4. ff. de vectigal. & publicanis.* Unde juxta Trident. *citt. digniori omisso conceditur jus appellandi ab iniqua electione.*

De electione ergò digni omisso digniore extra concursum controversa est inter DD. an & cui restitutio aliqua faciendatit? Et quidem non esse faciendam Ecclesiæ satis convenit inter DD. quia Ecclesiæ nulli arrogatur injuria, cum ei competens assignetur minister, cujus labor stipendio sibi dato adequatur; sicut si vineæ Dominus tibi mandaret, ut operarios conduceres præstantes; tu verò conduceres diligentes omisis diligentioribus,

ribus, quorum labor adæquaretur stipendiō, non teneris aliquid Domino restituere; quia nullam illi injustitiam faceres, cum ei laborem offeras stipendio correspondentem, & æqualem: imo juxta Adrianum apud Laym. l. 5. tr. 2. c. 15, & alios, collator non obligatur ad restitutionem, si ex provisione digni, prætermisso digniore, Ecclesiæ aliquid damnnum eveniat; quis illud per accidens evenisse censetur, si verè dignus sit institutus, eò quòd tunc collator non tam censeatur damnnum Ecclesiæ intulisse, quàm ejus majus commodum non procurasse, ad quod potius ex charitate, aut obedientia quàm ex Justitia obligatur. An autem digniori prætermisso facienda sit aliqua restitutio, quantum scilicet æstimari potest jus & spes, quam habet, consequendi Beneficium, major est difficultas, & controversia inter DD.

Ubi affirmativam sententiam probabilem amplectuntur Vasq. *opusc. de Benefic. cap. 2. §. 3. dub. 17.* Palud. Cajetan. Petrus Navarr. Sylvest. Aragon. Ledesm. Lop. & alii, sed Obligationem restituendi probabilius negant Adrian. *in 4. tr. de rest. c. quia jam determinatum est.* Molin. *de Hispan. promogen. l. 2. c. 5. n. 57. Less. l. 2. cap. 34. dub. 5.* Palao l. c. §. 4. n. 5. Sot. Covarru. Azar, Tolet. Valent. Gutier. Rebell. aliique complures. Rationem dant; quia nullus, tametsi dignissimus
R. P. Leonardelli Soc. Jes.

fit, jus habet ad Beneficium, nisi sub conditione, quod collator ei conferre voluerit: ergo antecederet ad hanc voluntatem non habet jus strictè dictum, sed tantum latè sumptum, ex quadam scilicet decentia, & proportionem in ejus dignitate fundata, atque adeò non fit illi injuria propriè dicta, & quæ oriatur ex læsione Justitiæ commutativæ, ad eum modum, quò Operarii digniores simile jus imperfectum habent, ut potius ipsi, quàm alii ad laborem vocentur, non tamen hanc vocationem ex Justitia petere possunt. Nec peccat talis collator adversus obligationem ortam ex officio, sed solum adversus obligationem ortam ex mandato Ecclesiæ, cui infidelis, & inobediens est, non tamen injustus.

Ad 4. Q. Non est hîc quæstio, 286 & controversia de Patrono Lajco, qui est Fundator Beneficii; cum hic possit quemlibet, modo dignus sit, designare, ut Beneficium provideat, & illius bonis fruatur, ut deciditur in *cap. Monasterium 16. q. 7.* Sed controversia est de Patronis successoribus, vel de iis, qui jus præsentandi habent ex privilegio Sedis Apostolicæ. Ubi

Si Patronus est Successor Fundatoris, obligatum esse ad digniorem eligendum, & præsentandum docet communior sententia apud Palaum l. c. p. 10. cum Vasq. *citt.*

Rr

dub.

dub. 4. n. 71. Molina l. 6. n. 70. Azor 2. p. instit. moral. l. 6. cap. 15. q. 8. & cap. 21. q. 5. Gutierrez Canon. quest. l. 2. cap. 11. n. 16. & 26. Covarr. Soto, aliisque quia præsumendum est, Fundatorem voluisse, ut ejus successores in præsentandis, & eligendis Candidatis modum electionis servent ab Ecclesia præscriptum, præsertim si ejus arbitrio, & judicio electio commissa est; quia tunc quasi Judex eligendorum constituitur, ut secundum judicium rectum, & regulatum procedat, & idcirco digniores eligat, & dignis præferat,

Contraria tamen sententia factis probabilis est, quam tenent Lambert, *de jure patron. l. 2. q. 10. a. 3. Petr. Navarr. l. 2. de restit. cap. 2. n. 150. Laym. l. 4. tr. 2. cap. 15. Garcia, Ledesm. & alii: Ratio est; quia Patroni Successores succedunt in jura Fundatoris, & jus præsentandi, quod ipse habebat, transfertur in Successores: ergo isti idem facere poterunt, quod ille poterat. 2. Quia usus obtinuit Prælati non contradicentibus, ut Patroni Lajoi, quem judicant dignum, eligant absque ulteriori indagazione, an adsint digniores. Qui specialis favor, seu privilegium ratione fundationis ipsis reservatum est, ut alicui gratificari possint, & quem voluerint, præsentare, dummodo positivè cognoscant dignum, &*

idoneum esse, ut periculum non sit damni ex ea provisione Ecclesiæ eventuri.

Nec obstare. ajunt Trident. supra citatum, ubi verbis generalissimis ait, peccare eos omnes, & singulos, qui ad promotionem præficiendorum quodcunque jus quacunque ratione à sede Apostolica habent, aut alioquin operam suam præstant &c. nam ibi loquitur de collatione, & electione, ut advertit Palao l. c. non de nominatione, & præsentatione; vel si etiam de hac loquatur, de iis Patronis intelligi debere censent, qui jus præsentandi habent ex privilegio Sedis Apostolicæ, non ex majorum fundatione, quos proin obligatos esse affirmant ad digniores eligendos; quia præsumi debet, jus præsentandi illis eo modo concessum esse, qui Ecclesiæ utilior est, & quò à patronis Ecclesiasticis, quibus jus eligendi competit, Beneficia providentur; hi autem, & à fortiori Episcopi in Beneficiis Parochialibus obligantur eligere, & promovere digniores, uti expressè habetur in Trident. c. 18. Sess. 24. c. 18. Ubi *Episcopus, ait eum eligit, quem cæteris magis idoneum judicaverit. Et infra: is, quem Patronus Ecclesiasticus digniorem inter probatos ab Examinatoribus judicabit, Episcopo præsentare teneatur.*

Ad

287 Ad 5. Q. Notandum est, triplici modo appeti posse Episcopatum, aliamve praelaturam. 1. Appeti potest principaliter propter commoda temporalia, honores, divitias &c. tanquam finem operis. 2. Appeti potest Episcopatus propter bona temporalia tanquam finem operantis, ita ut ab illis moveatur ad appetendum; quia nisi honores, redditus temporales, aliaque commoda conjuncta essent, nollet Episcopatum appetere, quamvis re ipsa appetat propter finem proprium ipsius operis, scilicet cum proposito procurandi salutem animarum. 3. Appeti potest principaliter propter Dei gloriam, & salutem animarum promovendam, secundario verò, & concomitanter propter bona, & commoda temporalia.

Appeterè Episcopatum primo modo, seu propter commoda temporalia tanquam finem operis peccatum est mortale secundum Sylvest. V. *Episcopus* §. 4. Tolet l. 5. cap. 3. Laym. l. c. Sa, Cajet. Sotum, & alios; quia est cupiditas periculosa, & ambitio bono communi repugnans. Nec juvat dicere, quòd qui Episcopatum desiderat, bonum opus desideret, 1. ad *Timoth.* 3. quia in tali casu potius opes desiderat, & Apostolus Paulus ibi non dicit bene desiderare semper, qui Episcopatum desiderat, sed bonum

opus desiderare, quod statim explicat narrans perfectionem Episcopi, scilicet oportere Episcopum irreprehensibilem esse, non iracundum, non vinolentum, non turpis lucri cupidum &c.

Secundo modo desiderare Episcopatum, peccatum duntaxat veniale est ambitionis aut avaritiæ juxta Sotum l. 10. q. 2. a. 1. Valent. 1. 3. D. 10. q. 3. p. 2. §. de primo dicto. Laym. l. c. n. 10. Petr. Navarr. Cajetan. Tolet & alios. Idem censet Toletus l. 5. cap. 3. cum aliis de eo, qui Episcopatum appetit præcisè propter gradum, eò quòd non inest tanta perversio, quanta sit in appetitu propter honores, & divitias, adeoque non excedere malitiam peccati venialis: imò S. Th. 2. 2. q. 185. a. 1. ait, appetere Episcopatum extra casum necessitatis, aut legitimæ vocationis, vel aliam eminentiam super alios fideles in Ecclesia etiam boni finis prætextu videri præsumptuosum.

Tertio modo appetere Episcopatum, aliamve Praelaturam, non esse illicitum, docent Sylvest. V. *Episcopus* q. 3. Valent. l. c. n. 3. Sa verb. *Episcopus* n. 3. Laym. l. c. uterque Navarr. & alii, servatis tamen sequentibus conditionibus, 1. Ut is, qui Praelaturam vel Episcopatum appetit, sit eò dignus, 2. Ut non adsit alius magis idoneus ad regendum, & promovendum

Rr 2

dum

dum majus Ecclesie commodum, aliàs potius suum proprium, quàm Ecclesie commodum quæreret, quod est proprio anteponendum. 3. Ut appetat absque scandalo, & sine illicita prævia largitione, procuratione &c. imò Sylvest. l. c. putat in quocunque casu, etiam in necessitate, peccatum esse procurare, quod tamen rectè negat Toletus cum S. Th. & aliis, pro casu, quò urget necessitas. Ratio assertionis est; quia ex una parte objectum talis appetitionis est bonum teste Apostolo l. c. potèstque ordinatè appeti scilicet ad Dei honorem promovendum, animarumque salutem, & utilitatem spiritualem procurandam; ex altera parte bona temporalia sunt etiam Dei dona, & media conducentia ad Divinam gloriam, & hominum salutem promovendam.

288 Ad 7. Q. An Episcopus electus, & confirmatus, sed nondum consecratus approbare possit Sa-

cerdotes in Confessionis Ministros? R. affirmativè cum Sylvest. verb. *Episcopus n. 9.* Sà verb. *Episcopus n. 37.* Barbol. in *Collect. DD. in Trid. Sess. 23. c. 15. n. 25.* ubi plurimos alios refert. Ratio est, quia tali Episcopo competunt ea, quæ sunt jurisdictionis; adeoque licèt non possit ea concedere, quæ sunt Ordinis Episcopalis, potest tamen ea, quæ sunt jurisdictionis, qualia sunt approbatio, & jurisdicctio Sacerdotum ad munus Confessarii obeundum & collatio Beneficiorum, quæ est actus jurisdictionis, ut etiam notat Squillant. de *oblig. & priv. Episc. p. 3. c. 3. dub. 5. n. 3.* Unde Diana pluribus à se relatis affirmat *p. 7. tr. 2. resol. 1.* posse talem Episcopum uti facultate absolvendi, & dispensandi, concessâ Episcopis à Trident. *Sess. 24. de reform. c. 6.* in casibus occultis, eò quòd talis facultas dispensandi, & absolvendi sit actus jurisdictionis.

